





923.

1907, 23

VI
M
3

CHRISTIANI VVILDVOGELII, JCTI

CONSILIARII SAXO-ISENACENSIS INTIMI

ET ANTECESSORIS

COLLEGII JVRIDICI H. T. DECANI

DE

ÆQVA LANCE

ad L. XX. D. d. re jud.

PROGRAMMA INAUGVRALE

P. P. JENAE, d. XXIII. JANVAR.

A. C. MDC CVII.

Litteris Job. Adolphi Mülleri.

Joh. Ad. Clemen



Uli virtutum præcepta sub imaginum involucris tradere, atque animis discantium insinuare gestierunt, Justitiam sub habitu venustæ virginis pingere fuerunt soliti, faciem fasciis obvelatam habentis, dextraque manu gladium, sinistra verò trutinam gerentis, addita nonnunquam ciconiæ figura, quæ avis jus fasque pertinaciter tueri vulgò à naturæ indagatoribus creditur. Et virginis quidem schema propterea assumere ipsis placuit, quod, sicuti virginitas vel minimo facile temerari potest tactu, ita Justitia non ferat ullam, licet levem tantùm, offensionem, sed omnem ab se lasciviam ac petulantiam longissime abesse jubeat. Oculos clausos idèd finxere, ut nullo personarum respectu moveri sacrum Justitiæ antistitem, nec à recti tramite in transversum abripi debere significarent. Nec enim, quod Plutarchus in vita Solonis graviter monet, leges aranearum telis similes esse convenit, in quibus, si levis quædam musca incurrerit, hæreat, major verò avis incidens illas rumpat: sed in humiles, & abjectos æque ac potentiores, quod leges jubent, aut prohibent, statuendum est.

Lan-

Lancem denique adjungere, ad denotandam æquita-
tem, quæ in JCTo quam maximè requiritur, quippe
qui omnes facti circumstantias prudenter trutinare,
exactè perpendere, atque juxta easdem legitimam
sententiam pronunciare tenetur. Quemadmodum
enim trutina tale instrumenti genus est, quo vel mi-
nutissimum ponderis momentum dignoscitur, & res
commutandæ justa proportionem æquantur: ita præ-
cipue JCTi ejusve qui jus fectatur, partes in eo con-
sistunt, ut prius cuncta, quæ factis accidunt, eisque
circumstant, probè scrutetur, deinde juris sancita iis-
dem sapienter applicet, pari ratione ad similes ca-
sus obvenientes extendat, ac demum unicuique id,
quod ipsi convenit, adjudicet. Atque hoc est, quod
Modestinus in *L. XX. d. re judic.* ait, quando, mari-
tum ab uxore judicio conventum in id, quod facere
potest, damnandum esse docens, mox subjungit: *Idem*
& in persona mulieris ÆQUA LANCE servari, æqui-
tatis ratio suggerit. Cum enim mutuus respectus in
marito & uxore intercedat, ita ut conjuges ad paria
meritò censeantur, non potest non uni tribui, quod
alteri est concessum. Eandem æquitatis rationem in
successione collateralium quoad sexum observari
voluit prudentissimus legum romanarum restaurator
& conditor, atque hinc veteris juris, masculos præ
fœminis admittentis, rigorem miratur, in simulque
eundem in §. III. *J. d. Legit. agnat. success.* his verbis
corrigit: *Quare etenim uno eodemque gradu naturali*
concurrente, & agnationis titulis tam in masculis, quam
in fœminis ÆQUA LANCE constitutis, masculis qui-
dem datur ad successionem venire omnium agnatorum:

ex agnatis autem mulieribus nulli penitus, nisi soli forori ad agnatorum successionem patebat aditus? Id quod & Leo Imperator in L. XVII. C. d. collat. circa hereditates paternas, & succedentium liberorum collationem considerat, eademque phrasi utitur, dum liberis, tam masculini, quam fœminini sexus in successione parentum *ÆQUA LANCE* prospici debere mandat. Similem ferè loquendi modum sacratissimus noster Imperator, Justinianus, adhibet in L. X. C. d. natural. lib. Omnes liberos, sive ante dotalia instrumenta editi sint, sive postea, *VNA EADEMQUE LANCE* trutinari, gravissimè præcipiens. Quin & Idem si pluribus eadem res in testamento, sive conjunctim sive separatim relicta fuerit, *ÆQUA LANCE* illam rem dividi, & ad dimidiam partem unumquemque vocari jubet L. XXIII. §. 1. C. d. legat. Cui consonat id, quod Imp. Theodof. & Valent. scribunt in L. un. §. 1. C. d. collegiat. & chartopr. ubi, postquam supernumerarios corporis socios collegii juribus minimè frui debere statuerunt, illud inter omnes *ÆQUA LANCE* servari præcipiunt, nullo divina domus patrocinio, nulla sacrosanctarum ecclesiarum reverentia, nulla qualibet vel cujuslibet potentia se excusante. Haud igitur nuda contemplatione rerum, aut simplici legum notitia contentus est fidus Themidos minister, nec verbis statutorum externis ut cortici solùm inharet, multominus ipse sibi ex cerebro jus aliquod effingit: sed superiorum placita solerti cura addiscit, & percipit, percepta prudenti pensitatione exponit, eorumque verum sensum eruit, & exposita deinde ad usum Reip. æquisimè dirigit, & civium salutem iisdem promovet. Neque aliis tantum hac juris peritia prodesse sudet,

studet, sed & eadem lance suas ipsius ponderat actiones,
nilaquam aut iustum sibi esse reputans, quod in aliis ut
injustum aut iniquum fuit notatum. Quem in sensum
Horatius Poëta *Lib. I. Satyr. 3. v. 72. in trutinam poni eadem,*
vocat quod Juris nostri auctores per vulgatam regulam
inculcant, quæ dicit: *Patere legem, quam ipse tuleris.* Me-
mores hujus imaginis, meritò esse decet non solum
omnes, qui animum ad hauriendas liberales artes, le-
gumque præcepta addiscenda in Academijs appulerunt;
ut virgineum in tota vita servant pudorem; ut clau-
sis quasi oculis Professorum sequantur ductum, &, quæ
ipsis instillantur, juris regulas, placida mente imbi-
bant; ut denique semetipsos ad trutinam appendant,
sciscitantes: num illud eruditionis pondus consecuti
fuerint, quo laborum præmia capeffere, atque Reip. of-
ficia sua offerre queant? sed & illis, quorum munus
est in aliorum profectus inquirere, atque laudabiles
ingenii conatus digna condecorare laurea, idem sche-
ma ob oculos versari debet. Non minimum enim
justitiæ munus est, largiri benè merentibus præmia, &
equà lance distribuere, quæ cuique debentur. Com-
memorare hæc volui hoc tempore, quo nobilis-
simus juvenis, atque legum Candidatus dignis-
simus,

JOHANNES ADAMUS
CLEMEN

ad edenda eruditionis suæ specimina in publicum est
producendus. Hic enim imaginis supra propositæ vi-
vum exemplar exhibet, quando talem se hæcenus in
nostra hac artium palæstra gessit, ut nemo non ipsum
purio-

purioris vitæ, virgineique pudoris cultorem, elegantiorum morum sectatorem, sedulum Professorum comitem, & quod in primis sibi proposuit, strenuum sacra Themidos militem agnosceret. Hujus igitur laudabilem vitæ ortum & cursum, pro more Academia-rum recepto, jam paucis exponere officii ratio postulat. Prodiit is in hanc lucem anno proximè elapsi seculi octogesimo quinto, XV. die Octobris, Schmal-caldiæ, urbe ditionis Hassiæ, fama fœderis quondam à protestantibus Imperii Statibus ibidem initi, ut & articulo-rum purioris fidei Christianæ conceptione, nec non gloriæ fodinarum metallicarum per totam Ger-maniam celeberrima, à parentibus & honore stirpis & virtutum decore clarissimis, Patre nim. JOHAN-NE CASPARE CLEMEN, Jcto & Serenissimo Land-gravio Hasso - Casselano à consiliis rerum metallica-rum, matre vero MARIA ELISABETHA, viri maximè reverendi atque excellentissimi ORTOLPHI NEVNE-SII, SS. Theologiæ Doctoris, & ecclesiæ Lutheranae, quæ Schmalcaldiæ Deo colligitur, Pastoris primarii, ut & vicinarum Inspectoris dum viveret, vigilantissimi filiâ, matronâ omnibus sexus sui ornamentis instru-ctissimâ. Optimi hi parentes quantum spei de nato conceperant, tantum dederunt operæ, ut ingenium ad quævis præclara aptum tam pietatis, quam artium & scientiarum præstantissimarum præceptis maturè imbueretur, usi hac in re fidelissima opera tam publi-ca quam domestica Præceptorum docendi dexteritate insignium, è quibus præ cæteris deprædicat viros omni laude dignissimos JOHANNEM SEBASTIANVM WI-GANDVM, tunc Rectorem, nunc Ecclesiæ patriæ
Diaco-

Diaconum plurimum reverendum, & qui hodienu-
ludo literario præest, JOHANNEM TOBIAM CLE-
MEN, horum quippe indefessa cura, atque industria tan-
tos consecutus est profectus, ut elapso quadriennio ad
sublimiora studia progredi potuerit. Hinc suavis & consi-
lio sapientissimo avunculi, sui & susceptoris dilectissimi
BALTHASARIS ADAMI NEVNESII, cœtus Lutherani
in patria civitate Inspectoris gravissimi, ex tanto Aca-
demiarum per Germaniam florentium numero, no-
strum selegit Athenarum, in quo eruditionem multis
vigiliis comparatam non auget modò, sed & perfee-
ret. Huc anno ætatis suæ XVI. delatus, philosophica
primitus solidiora principia ab admodum reverendo
& excellentissimo viro JOHANNE JACOBO LVN-
GERSHAVSEN, Professore philosophiæ extraordinario
& Diacono de ecclesia optimè merito addidicit: post ad
accuratam legalis scientiæ cognitionem omni alacrita-
te contendens, eandem ex domestica viri magnifici at-
que excellentissimi JOHANNIS BERNHARDI FRIESII,
Hereditarii in Pösen, Consilarii Saxo-Isenacensis au-
lici & consistorialis, nec non Antecessoris celeberrimi,
jam ProRectoris academiæ designati, informatione fe-
liciter hausit. Nec civilis juris notitia contentus no-
ster, canonici quoque, ut & publici scientia pectus suum
implere gestiens, excellentissimos JCtos, JOHANNEM
PHILIPPVM SLEVOGTIVM, ordinis juridici Senio-
rem; nec non JOHANNEM CHRISTIANVM SCHROE-
TERVM, Professore juris extraordinarium, illum
quidem jus pontificium publicè interpretantem, hunc
vero ea, quæ ad statum Imperii romano-germanici
pertinent, intra privatos parietes tradentem sedulò
auscul-

auscultavit. Quin nec meas scholas, cum Auream
bullam publicè prælegerem, est aspernatus, sed iisdem
debita cum attentione indefinenter interfuit. Adjunxit
his denique privatissimam nobilissimi & consultissimi
JOHANNIS WILHELMI DITMARI, Jur. Utr. Doctoris
& practici apud nos felicissimi informationem, ejusque
ductu integrum, qui vocari solet, juris cursum non so-
lum ingressus est, sed & summa cum alacritate absolvit.
Sic omnigenæ eruditionis copia instructus publicum
virtutis testimonium & honores, quibus præstantia in-
genia in academiis condecorari solent, laudabili ambi-
tu ab ordine nostro expetiit, facileque obtinuit, ut ad
consueta Candidatorum specimina, & gemina examina
admitteretur: in quibus spem nostram de eo conce-
ptam abundè implevit, talemque se præstitit, ut reli-
qua etiam specimina edendi facultatem unanimi con-
sensu concesserimus. Crastini igitur diei hora X. ante
meridiana expositionem *Legis XV. C. d. Em. vendit.*
cursoria, ut vocant, lectione in Jctorum cathedra susci-
piet, cui solennitati ut Magnus Dominus Prorektor,
Magnificus Dominus Prorektor designatus, illustrissimi
item Domini Comites, Patres academia venerandi, Rei-
que publicæ proceres, omnium ordinum Doctores ex-
cellentissimi, ut & Studiosi nobilissimi, alique Ly-
ceum nostrum alit, eruditi, gratiose & benevole adesse,
& panegyricum hanc illustriorem facere dignentur, colle-
gii juridici nomine submissè, officiose, & perhumaniter
rogo, singulis reciproca officii & honoris genera polli-
citus. Dabam in Academia Jenensi, die XXIII. Januar.
Anno Salutis MDC CVII.

(L. S.)

Jena, Diss., 7707 W-2

ULB Halle 3
004 548 876



f

sb.

von 8





925,

1707, 23

VI
2
3

CHRISTIANI VVILDVOGELII, JCTI

CONSILIARII SAXO-ISENACENSIS INTIMI

ET ANTECESSORIS

COLLEGII JVRIDICI H. T. DECANI

DE

ÆQVA LANCE

ad L. XX. D. d. re jud.

PROGRAMMA INAUGVRALE

P. P. JENAE, d. XXIII. JANVAR.

A. C. MDC CVII.

Litteris Joh. Adolphi Mülleri.

Joh. Ad. Clemen